



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

L. An clausula Decreti irritantis habeat locum si Precista nolit acceptare, &
Ordinarius conferat alteri

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

rogationem hujus clausulæ videretur Judicem manus ligatas habere, quippe quod clausula *sublata* non solum obstat parti sed etiam Judici, maxime cum habet clausulam quod de subreptione, & obreptione dari non possit, *Seraph. decis. 1020. & decis. 351. nu. 1.* qualis in hoc Indulto habetur.

K OMNIUM ILLORUM TENORES:) Hæc clausula in derogationibus facit ut infinitæ derogationes de stylo Rotæ remaneant inefficaces, quæ alias essent efficaces, *Gozad. constit. 9. nu. 27. & seqq.* nullius tamen erit roboris quoties Papa si seivisset defectus non ita rescripisset, *Seraph. decis. 981. nu. 2.* Denique adverte, hanc clausulam eundem producere effectum, ac si specialis, expressa, & individua mentio facta fuerit, quod hæc tenus verum est si in Rescripto seu Privilegio seu Indulto derogante facta sit saltem aliqua mentio Rescripti, Privilegii, seu Indulti, clausulam derogatoriam ad futura habentis, quæ per contraria derogantur, *Anast. Germon tract. de Indult. Cardin. §. ac irritum. nu. 14. Capuaquen. decis. 121. part.*

I AUT INTENTIONIS DEFECTU) Hæc clausula est etiam valdè potens, quia operatur ut non sit necessaria mentio juris tertii. *Seraph. decis. 351. num. 37.*

M IRRITUM AC INANE) Hæc clausula reddit nullum & infectum, quidquid fuerit attentatum, *cap. ad petitionem. de accusatio. Abb. in cap. cæterum. de Rescript. & alij quos allegat Celsus Hugo tract. de claus. num. 127.* ligatque ignorantibus, dummodo tamen dispositio cui adjicitur, est certa & determinata, *Farinacius decis. 608. num. 13. parte 1. Anast. Germon. de Indult. Card. §. alioquin. num. 18 & est tam malignæ, & pestiferæ naturæ, quod quidquid in oppositum invenit, deltruat ut fulgur. Gonzalez de Reg. de Alternat. glo. 67. num. 14. & est potentior reservatione. & inhibitione, glos. in cap. si eo tempore 45. verbo provisionem. de Electio. in 6. Sed quid si Precista nolit uti nominatione sua, veli renunciet, an Ordinarij collatio facta subsistat non obstante dicta clausula? dicendum subsistere: quia licet in quocunque rescripto apposta sit clausula hæc Decreti irritantis, semper tamen intelligitur conditio: si impetrans uti velit ea gratia, *Io. Monach. in cap. Statutum. de præbend. in 6. fa. l. proinde. §. fin. si cert. pet. ubi licet mortuo testatore dominium rei legatæ, recta via transeat ad Legatarium, tamen si Legatarius repudiat, fingitur non transisse, similiter repudiata nominatione, aut declaratione facta per Precistam, quod nolit uti precibus seu nominatione sua, fingitur tanquam si non esset nominatus. Ideoque subsistet Ordinarij collatio, quod intellige dummodo hanc collationem præcesserit dicta nominati, seu Precistæ renunciatio: nam secus esset si sequeretur: neque enim tum provisus tutus esset sine nova collatione, *cap. pen. de præbend. in 6. Guimer. ad Pragm. sanct. tit. de collatio. verb. Irritum. pag. 67. Rebuff. ad Concordat. Rubr. de collatio. §. si quis verò. §. Tertio insertur. Sed quid si è contrario Nominatus sive Precista semel acceptaverit, & postea renunciet,***

An clausula irritans habeat locum si Precista nolit acceptare & conferat alteri.

Precista si renunciet Precibus.